



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Simonia. Consilium DLXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Missarum Religiosis permitterdis. Hæc enim nifi per se verè sint licita, & iuri regulisque Ordinis minimè contraria; ex antiquitatis & veteris observationis, prætextu, licita minimè fieri potuerunt. Consuetudinis enim & longævi usus auctoritas etsi maxima sit, tanta tamen non est, ut Canonem, legem, vel rationem vincere possit, l. 1. & 2. C. *Quæ sit longa consuet. d. c. Cum consuetudinis.* Et tantum abest, ut longinquitas temporis illicitum excuset, ut etiam illiciti modum augeat, & infelicem hominis animam tantò magis gravet, quanto diutius in illicito usu consistit, c. ult. de consuet.

Dispicit itaque Reverendus Dominus, an in veteri observatione circa contenta dictorum articulo-
7 rum lateat aliqua regularis disciplinæ dissolutio seu relaxatio, quoad vestitum, divini officii celebrationem, aliter quàm regula monachalis, & præsertim huius Ordinis patitur, c. *Cum monasterium de statu Monachi.* & quoad præbendas, ac pecunias pro vestimentis; item de commodis penurarii & Missarum, an in illis non lateat saltem tacita permissio proprii: quod in Regularibus & Monachis usque adeò detestantur sacri Canones, ut etiam post mortem Monachi, illius pœnam & ultionem infligant, c. *Super de statu monachi.* Horum si aliquod periculum in his consistit, quia tendunt ad impedimentum debitæ reformationis secundùm regulas Ordinis, ad quas Canones volunt Prælatos teneri, c. *Revolentes eod. tit.* non videmus, quo pacto Reverendus hic Dominus electus scrupulum conscientie iniquæ & illicitæ passionis deponere possit.

8 Sine periculo & suspitione nobis quoque non videntur esse promissiones de alimentis, vestimentis, aliisque dictis Religiosis præstandis; atque item de solvendis debitis prius per præcessorem & Conventum conjunctum vel divisum contractis. Si hac in re sinister aliquis est oculus, *Clement. Exiri vers. cum verò facere, de verb. significat.* hoc est si de his solvendis & præstandis ex propria sua pecuniâ, quam electus secum fortè aliunde feret, quoquo modo actum erit, præsertim si illa vera, quamvis fortè latens causa fuerit, cur hic Reverendus Dominus se dictis Religiosis obtulerit, & propter pleniores illius sacculos (ut habet Canon, c. *Ex multis vers. nec eligant l. q. 3.*) iidem Religiosi eum elegerint. Nam licet ad hæc præstanda Prælati ex Canonis necessitate teneatur, ut diximus, non tenetur tamen nisi ex bonis Monasterii id facere. Vnde si aliunde id facit, ideoque hoc in pactum deductum sit pro assequendâ Prælatûrâ, illicitum & simoniacum omninò id iudicari debet: quia est promissio rei temporalis pro ademptione rei spiritualis, in quo formalis simoniæ vitium consistit, c. *fin de pactis & ibi gloss. in V. cessare, c. Tua nos de simonia.* Et hoc est quod eleganter tradit Bartholomæus Brixienfis, *quæst. venerial. 36.* simoniam contrahere eum, qui beneficium adipiscitur sub conditione seu promissione debita præcessoris solvendi, non de bonis beneficii, sed de suo proprio. Si igitur ea fuit horum promissionum causa & conditio, & hæc concurrens circumstantia, quòd utrimque tam ex parte Religiosorum, quàm ex parte electi actum fuerit de horum

solutione & præstatione ex aliis bonis, quàm Monasterii; non videmus, quo modo Reverendi Domini conscientia possit esse tuta.

Vnum præterea est, quod conscientie scrupulum in re propositâ supra modum angere videtur; quod, si quaquâ ratione ex superioribus considerationibus verè dici possit vitium seu periculum nullum simoniæ subesse, sed omnia & singula promissionum capita per se licita; non perinde tamen excusari possunt à vitio ambitionis, in quo iniustitia consistit: ob id, quod quantum ex propositis colligere possumus, hæc promissiones sint factæ ante omnem electionem. Ipsi enim electione factâ, imò etiam ante electionem publicatò scrutinio, electus licitis promissionibus & conventionibus antè confirmationem, vel pleniorè prælaturâ vel beneficii ademptionem constringi possit; non perinde tamen illius faciendâ potestas est ante omnem electionem: ob id, quod qui sic præmaturè se obstringit, arguatur omninò ambitiosus; & juris prohibitio generalis sit, antè electionem nullas faciendas esse inter eligentes & eligendum conventiones, *can. Talia quidem, can. Arnaldus v. 11. q. 3.* etiam si sint per se licitæ. Hæc enim juris prohibitio, & quæ ex huiusmodi anticipantibus conventibus inducitur, sinistra ambitionis suspicio, non fundatur in pacti ipsius materia, seu in eo, quod promittitur; quippe quod in suo genere licitum, minimeque improbatum est; sed in ipso tempore, quod ad faciendam aliquam conventionem ante electionem omninò inidoneum est. * 10 Et hoc est quod ex facto consultus respondit Dominicus Geminianus, *conf. 84. Quia istud dubium n. 8.* ex hoc solo, quod eligendus huiusmodi promissionem faciat ante electionem, sufficientem præberi causam ad electum repellendum, tamquam ambitiosum; quasi desiderantibus & ambientibus locus sit denegandus, *can. In scripturis v. 11. q. 1. Paul. Parisius, d. consil. 29. & d. consil. 30.* Quod Geminiani responsum in præsentî negotio diligenter est expendendum: continet enim decisionem & resolutionem eorum, quæ circa propositos harum promissionum articulos in questionem latius venire possunt. Et hæc quidem in brevitate temporis, quod tabellarius nobis permisit, ad sic simpliciter propositas quaestiones respondendum esse putamus; ad quæ Reverendus Dominus electus propius advertere, & secundùm ea suam conscientiam formare poterit; parati propius certiusque respondere, cum quæ pro dubitationum & suspitionum causis obiter attigimus, explicatius nobis proponeretur.

De Simonia.

S V M M A R I V M.

Simonia an ex renuntiatione hereditatis contrahatur.

1. Simonia ut contrahatur in beneficio quid requiratur.
2. Simoniacum an sit hereditatis paternæ renuntiare intuitu beneficii Ecclesiastici.
3. Promissio præstationis annuæ, donec alicui de beneficio provisum erit, valet.
4. Simonia an contrahatur, si ad intercessionem alicuius conferatur beneficium.

Hereditatis

5. *Hereditati delata facile renuntiatur, non defendenda.*
 6. *Insinuationis usus in testamentis non est necessarius.*
 7. *Insinuatio donationis interposito iuramento non requiritur.*

CONSILIVM DLXVII.

DIFFICULTATVM & dubiorum, qui per Consulitissimos Dominos Arbitros in causa compromissi inter Generosos Dominos fratres Ioannem Huyn Actorem, & Wernerum Huyn Reum propositi sunt articuli, in tribus potissimum consistunt. Primus est, num contractus, qui duobus instrumentis interpositis inter eos celebratus est, vitio simoniae expugnari & nullius momenti dici possit? Secundus, an cessante nullitate ex dicto vitio simoniae, consideratio enormis laesionis idem non efficiat? Tertius, an defectus insinuationis, renuntiationis effectum, quasi donationis, non retundat? In quorum dubiorum resolutione minus laborandum putavimus, quod in doctissimorum usuque peritissimorum virorum manibus causa versetur; quibus longa, scrupulosaque eorum tractatio non nisi nauleam iniicere potest.

Paucis itaque rem perstringendo, ad primum articulum dicimus, huiusmodi vitium nullum subesse. * Etenim ut suis finibus, & cancellis hoc vitium & peccatum conclusum est, nec extensionem patitur, *l. Interpretatione D. De panis*; ita quodcumque beneficii ecclesiastici mentione facta initur pactum, simonia non est; sed id demum, quod simoniae definitioni congruit. Id scilicet, quod commutationem seu promissum contractum continet de re spirituali, vel eidem annexa cum aliquo temporali, *Panor. ad rub. & in c. Veniens n. 6. & in c. Etsi quaestiones de simonia*, dum tota intentio, voluntas, studium, & cupiditas contrahentium in hoc principaliter & directo dirigitur, ut spirituale, vel quod rei spiritualis loco est, ematur & vendatur: ita ut temporale cum spirituali commutandum, sive pecunia, sive res alia vel servitus, obsequium, aut intercessio sit illius acquirendi, comparandi, vel habendi directae aut propinqua causa, aestimatio, & velut pretium, *c. Cum essent & ibi Gloss. eod. tit.*

Tam verò si diligenter expendatur contractus, qui inter dictas partes initus est, non hoc actum principaliter censetur, ut Reus Actori beneficium aliquod conferret, aut compararet; nam tunc beneficii acquisitio in pactionem deducta videri posset etiam per solam promissionem ac conventionem dandi ac praestandi aliquid pro eodem, quod simoniacum est, *Panor. in c. Nobis n. 3. eod.* sed id tantum actum, ut Actor conformando se antecedenti voluntati patris, paternae hereditati in favorem Rei renuntiaret, & eam tum propter patris iudicium, tum propter familiae conservationem, filio majori natu relinqueret, non planè liberam, sed multis adhuc gravibus oneribus obnoxiam, praestandarum dotium sororibus, & faciendorum sumptuum, quos illius temporis mores exigebant per ingressum religionis, tam unius fratris, quam plurium sororum. Patris siquidem iudicium in vita declaratum, non tantum per ultimam voluntatem (quam tamen Actor ex defe-

ctu solemnitatis valde oppugnat, sed pro ea si standum non multum laborandum esse in hoc statu causae putamus) verum etiam in antecedente contractu antenuptiali, inito cum dicto Reo nuptias contrahente, qui speciem ultimae voluntatis obtinet, & notorios fines pacti egreditur, *Pet. de Bellapertica & alii in l. ult. C. De pact.* maximi momenti est, & non tantum vinculo pudoris & verecundiae, sed etiam obligationis, liberos atque arbitrum familiae circumsundae obstringit, ut id sequantur, *l. Si filia §. si pater Famil. creise.* Sic quod Actor renuntiando paternae successioni, non tam iure inito pacti aut contractus hoc fecerit; quam pro implemento paternae dispositionis; in cuius remunerationem, velut de re acta, Reus sine laebe simoniae id Actori licite promittere potuit, quod pater sic de Actore statuendo ei praestari voluit; ut scilicet ei provideretur in beneficiis ad valorem sexcentorum florenorum annuorum, quae sola & praecipua summa est remunerationis: ut haec ex contractus antenuptialis lectione, & collatione cōtroverfi contractus deprehendere licet.

Quae sane patris ordinatio simoniaca dici non potest; quia iure contractus (sine quo nulla est simonia) ceneri non potest; propter vim & effectum ultimae voluntatis, quae (ut diximus) in ea latet; cui filius sine delicto utique se conformare potest, cum extra omnes terminos & cancellos simoniae sit. Ut in simili eleganter respondendo consuluit Marianus Socinus Nepos, *conf. 160. Circa praesentem consultationem sub fin. vol. 2.* Quinimò diligenti cautione in eo contractu provisum est, quod quā parte Reus simoniam directo committere poterat, verbis ipsius contractus id omnino aversum sit: ne scilicet ad summam sexcentorum florenorum seu illius implementum & diminutionem quicquam faceret, si Actor ex praesentatione Rei consequeretur Ecclesiam parochialem de A. cuius collatio ad Reum iure patronatus pertinet; & in qua Reus simoniam committere poterat, non etiam perinde, si aliunde Actori beneficia ad eam summam obvenirent: non quidem modo aliquo illicito & canonibus vitio; sed licito & approbato. Unde etiam est, quod Reus non promittat verè beneficia; sed tantum sumptus, qui impetratis beneficiis ad obtinendam possessionem ex statutis Collegiorum ecclesiasticorum, tamquam liciti haecenus sunt tolerati, & ob id, ad nullum delictum referri possunt, aut Reo aliquod periculum iniicere, *l. Si quis sit fugitivus §. apud Labeanem. D. de adul. edicto.* Quod etiam pertinet mentio possibilitatis in dicto contractu ad personam Rei pro restrictione relata; ut non ad aliud Reus se obligare voluerit, quam quod de iure facere poterat, *l. Nepos Proculo De verb. signif. ut delicti praesumptio averteretur, l. Merito Pro socio.*

Rursus Rei obligatio praecise non constituitur in provisione aut adminiculo licitae provisionis aut adeptionis beneficiorum; sed in praestatione sexcentorum florenorum annuorum, quos pater in dicto antenuptiali contractu ad onus Rei, durante vita Actoris, aperte rejecit: ad quorum praestationem Reus se obligavit, donec Actor vel propria ipsius industria, aut alia bona fortuna tanti

tanti valoris beneficia obveniant: quæ promissio verè est respectiva, & correspondens ad Actoris renuntiationem, quatenus obligatoria est. Iam verò certum & indubitatum est, quòd conventio etiam inter personas Ecclesiasticas, ut quis annum alicui præstet pro obsequio & operis, donec illi, cui obsequium & operæ præstantur, provisorium sit de competenti beneficio, omni jure valeat & licita sit, nec vitio simoniæ infecta reputari possit, *Hofiens. in d. c. Cum essent, vers. quid ergo si ita dicit, & ibi Felin. & Panor. sub fin.* si modo contrahentium pactum non sit de beneficio conferendo seu dando: quia his & similibus casibus acquisitio beneficii non est in dispositione; sed adiicitur sub conditione, ut ea eveniente obligatio de præstando annuo cesset, *Felin. in d. c. Cum essent sub fin.*

Atque hinc est, quòd diligenter perlustrando dictum contractum circa provisionem beneficiorum, & adminicula in eis acquirendis, seu sumptibus pro his licite erogandis, nusquam invenitur præcisa aliqua obligatio, quæ Reus constringatur, nisi quoad præstandos sexcentos annuos, quos ut pater Actori licite assignare, ita quoque Reus, facta renuntiatione, & propter illam respectivè, præsertim propter evitacionem litium, quorum studio Actor incumbere videbatur, omni jure promittere potuit: injecta seu adjecta tantum per informationem seu dilationem contractus clausula resolutiva hujusmodi promissionis, cum & quando Actori ad vel ultra eam summam annuam in redditibus beneficiorum annuorum obvenisset, & acquisitum esset; quod paulò antè diximus licite in conventionem etiam directe deduci posse.

4 Et nihil ad arguendum simoniæ studium facit, quòd Reus operam suam, officium, & intercessionem ad acquirendum & obtinendum beneficia promiserit; & collatio propter intercessionem facta reputetur simoniaca: quia hujusmodi pactum ab ipsa collatione, datione, seu provisione beneficii omnino remotum est; & inspicendus animus conferentis, providentis, vel dantis ipsum beneficium; ut non censeatur simoniace quicquam agere, si simpliciter conferat, det, & provideat. De cuius generis adeptione etiam in dubio accipiendus est hic controversus contractus, non habendo respectum ad promissam intercessionem, nec hujusmodi intercessionem reputando pro eo, quo beneficium seu illius acquisitio assimilatur, *u. c. Cum essent.* Sic ut propter promissionem ex pacto donativo; hoc est propter temporale aliquod commodum factum de sollicitando & intercedendo, nullum beneficium promissum vel datum dici possit, *argum. c. Excommunicamus, & ibi Gloss. in Extravag. communib. tit. De sent. excommunicat. Et hoc est, quod ex sententia Innocentii, in c. Tuam de atate & qual. ordinand. tradit Albericus in tract. De testib. tit. Qui testes repell. ratione affecti.* quòd hoc casu vitium simoniæ afficiat ipsum Collatorem beneficii, si respectum habendo ad commodum, quod intercedens seu sollicitans accipit, ejus respectu propter promissam sollicitationem & intercessionem beneficium contulerit. Non autem hoc dicit, sic sollicitantem & promittentem simoniacum esse, si in conferente animus vitiosus non est, & propter intercessionem providerit non in-

digno; quod Actor de sua personâ non facile dicet, nec in actis allegatur.

Atque ita omnibus expensis existimamus, scrupulum, qui de simonia iniicitur, si sufficienter sublatum esset; ideoque etiam articulum, qui ei adjungitur de admittenda allegatione propriæ turpitudinis, cum per viam exceptionis, & replicationis proponatur, omnino supervacaneum esse: cum alioqui illius solutio difficultatè nullam habeat.

Secundi articuli resolutio ex hypothesi facilem quoque resolutionem habet. Cum enim Actor renuntiationem fecerit, non ex solo pacto cum Reo inito, in quo illius initium & prima origo statui non potest; sed ex antecedente paternâ dispositione & ordinatione, cui Actor se conformavit, illam in effectu per hoc pactum approbando & Reum suum fratrem ad illius observationem constringendo, solo argumento obligationis prioris facto per adjectam stipulationem, & promissionem de solvendis sumptibus receptionum aliorumque jurum, quæ jam licite obtentis beneficiis dependi ex consuetudine debent & solent; enormis aut enormissimæ lisionis consideratio inutilis est: quia quæ pro intercedenda aut augenda obligatione adiunguntur, ad diminutionis effectum referri non debent, *argum. l. Legata inutiliter, De adimen. legatis.* Ita ut cum Actor secundum ordinationem paternam habeat seu habiturus sit liberè sexcentos annuos, & ultra; non debeat oculos conicere in totam patris sui hereditatem, quæ ei ab intestato etiam pro sua virili non debetur. Eoque minus de enormissima lisione disputandum est, quòd ea res tota sit calculi, & facti, quo secundum intentionem Actoris liquidato, in urgenda rescissione ex eo capite merito obflare debent repetitæ hujus conventionis, non solum simplices geminationes, sed ter quaterque geminationes: quæ quantam in jure habeant potentiam, notissimum est etiam in articulo factæ renuntiationis ac repudiationis hereditatis, *pos. in l. 1. c. de pat. late Ant. Corserus in tract. de verb. geminat. Ferd. Vassq. in tract. de success. creat. lib. 1. c. 3.* non quidem ex opinione Actoris adhuc detinenda, sed jam delata post mortem patris: quam ut totam Actor pro sua parte repudiare poterat, & injuriam paternam, si quæ in dicta antecedente dispositione, & ordinatione erat, contemnere, & hoc quaecumque patris iudicium silentio, approbatione, aut ulteriore renuntiatione condecorare etiam omnino præteritus, *l. Filio præterito De iustis, rapto irrito &c.* ita quoque sine consideratione lisionis hoc modo ut fecit, accepta securitate sexcentorum florenorum annuorum pro residuo, quantumcumque hoc erat, ad utilitatem fratris, residuum hereditatem fratri relinquere etiam per speciem renuntiationis; præsertim addita causâ conservandæ agnationis, & familiæ, & propter fratris antea gentia multa benè merita; inique non fictè aut simulate, sed ex veritate restrictio fratre velut fideicommissio in propria portione, & adjectâ clausula resolutiva renuntiationis, & illius effectus, si Reus sine liberis moreretur; cuius in re præsentis adhuc in persona Rei probabilis admodum est expectatio.

Quæ

Quæ consideratio discriminis inter delatam & deferendam hæc redditatem resolvit quoque aliqua ex parte tertii articuli difficultatem; quia futura successione renuntiatio semper difficilis est; contra facilis illius, quæ delata est, *2. Ajust & alij in l. Hoc iure De verb. oblig.* * Nec fietiam de delatâ propositum dubium intelligatur, insinuationis consideratio, huic hypothefi congruit: quia non ex mera donatione illa proficiscitur; sed, ut sæpe diximus, aliâ causâ, ex antecedente scilicet patris dispositione ac ordinatione. Cum alioqui ulus insinuationis hodiernis moribus in defuetudinem abierit, nec in his regionibus frequentur; & secundum terminos juris communis obtineat in formali donatione, non in liberatione ac renuntiatione ex iustâ causâ, *Ang. Aret. in §. alie autem vers. quid si remitto Inst. De donat.* * Et denique quod questio, an iuramentum non tollat necessitatem insinuationis, apud Interpretes controvertissimâ sit, *Ang. in d. §. alie autem, vers. quaritur in fine,* & in utramque partem pares ferè assertores habeat; & illorum, quod tollat, numerus major sit ex suffragiis Canonistarum eis accedentium, in c. Cum contingat De iureiurando. Per quæ existimamus propositis dubiis satisfactum; in quorum ampliore exactioreque resolutione per valetudinem & morbum ampliorem operam ponere non potuimus; nec ut poneremus anxie solliciti fuimus, quod causa verteretur in manibus iure peritissimorum virorum.

De Magistris.

S V M M A R I U M.

Absentia à loco studij.

1. Matricula amittitur absentia quinquennali.
2. 7. Absentia à loco studij an arguat animum non revertendi, nulla interposita protestatione.
3. Privilegia studiorum non requirere matriculationem.
4. Exceptio de iure fisci non admittitur.
5. Absentia involuntaria non nocet.
6. Absens quando pro presente habeatur.
8. Animus non revertendi præsumi non potest quando notorium subest impedimentum.

CONSILIUM DLXVIII

Nihil est, quod in hac causâ M. Guilielmi Bodart Impetrantis, contra Dominos Decanum & Capitulum Collegiæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Dionantensis Opponentibus non fecerit controversum, Advocati seu Procuratoris Opponentium vel temeraria negatio, vel involuta minimeque expedita responsio, in re tamen omnino manifesta; ut Impetranti necessarium fuerit ad singula ferè Domini Iudicis decretum obtinere; & cum temporis majore dispendio terminorumque multiplicatione hanc litem protrahere; * eoque tandem causam redigere, ut de eo solo nunc supersit questio per decretum seu sententiam Iudicis decidenda, an Impetranti denegari debeat vel possit usus privilegij de percipiendis fructibus sui Canonatus in dictâ Ecclesiâ; ex eo, quod post absentiam quinquennalem à recessu suo ab Universitate Lovaniensi, Lovanium ad studium reversus, iterum matriculæ ejusdem Universitatis inscriptus non sit?

Questionis hujus & oppositionis probabilitatem facit primum dicta Universitatis allegatum (quamvis tamen non probatum) statutum, quo cautum dicitur, quod Scholares revertentes post quinquennalem absentiam, non aliter pro suppositis agnoscat Universitas, quàm si per Rectorem & ordinarios deputatos super causis redditus & aliis opportunis fuerint debite examinati & juramento præstito ac juribus solutis iterum intitulati: eoque statuto cessante ex juris communis dispositione sustinetur per absentiam quinquennalem cujusvis matriculæ, & ex matricula dependentis privilegij usus, fructus, & effectus perire, extingui, & amitti. Quod etsi specialiter de quibusdam officiis, muneribus, & honoribus, non in universum de quibuscumque matriculatis ullo jure cautum invenitur, sed dumtaxat in specie de matricula primiceriorum, l. 2. vers. qui vero per quinquennium C. De primicerio lib. 12. domesticorum, l. 3. vers. quinquennio autem C. De domesticis, lib. 12. aliorumque Palatinorum Comitum domus Imperatoriæ, l. 2. & 3. C. De comitatu lib. 12. in quibus specialis ratio assidui ministerii tantam absentiam difficilior ac mittit, & diu vagandi facultatem non permittit, d. l. 3. & ibi Ioan. de Placeta: ex interpretatione tamen, & per extensionem specialiter id quoque Bartolus, cons. 134. Universitatis statuto vol. 1. & in l. Ex eo, De milit. testam. & Bartolus sequenti Paulus Castrensis, in l. Filio quem nu. 5. De l. b. & posthumis, & alij plerique omnes, in d. l. Ex eo, & in l. Scribarios C. De milit. testam. Alex. consil. 54. Viso puncto. vol. 4. accommodant Scholaribus & privilegiis Scholarium. Imò Ludovicus Romanus cuicumque cujuscumque privilegiatæ conditionis matriculæ, singul. 233. Matricula extinguitur; ut generaliter quæcumque matricula per absentiam quinquennalem extinguatur & pereat; nec restituatur nisi novâ immatriculatione sequutâ, Castrensis d. nu. 5. quasi per tam diuturnum discessum sublato omni prioris scholaritatis effectum, Alex. d. consil. 54.

Quod pertinet quod eleganter scribit Baldus, consil. 250. In questione Domini Nicolai n. 13. vol. 1. quod hujusmodi quinquennalis absentia sit quædam dematriculatio, per quam privilegium matriculæ tollitur. Qui enim tanto tempore continuò abest, manifestè censetur deposuisse animum revertendi, l. Naturalem §. pavonum de acquir. rer. dom. Bartol. d. consil. 134. Cum itaque ex confessione Impetrantis constet, eundem Impetrantem in principio mensis Februarii anno septuagesimo octavo discessisse, & primum sub finem ætatis anni octuagesimi quarti, & sic post lapsum sexennii ad studia Lovanium reversum fuisse, expeditum Opponentibus videtur, Impetranti denegare usum privilegiorum scholaribus beneficiatis in dictâ Universitate Lovaniensi studentibus competentium; velut ex defectu requisitæ qualitatis, hoc est, scholaritatis, quæ sine descriptione in matricula adesse non videtur, l. 1. & 2. C. De commercijs, l. Matriculam C. De agent. in reb. lib. 12. Paulus Paris. consil. 159. An statutum nu. 7. vol. 4.

Speciosa sunt quidem hæc in aspectu pro Opponentibus, sed propius expensa & discussa intentioni Impetrantis non posse nocereprehenduntur. Ex